



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus XV. De generali Absolutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

& responso ab omnibus : *Qui fecit cælum & terram*, egrediuntur ad chorum inchoaturi Primam hora sexta.

## TITULUS XV.

### *De Generali Absolutione.*

1. **D**ies, quibus generalis Absolutio datur sunt sequentes. Vigilia Nativitatis Domini, nisi incidat in Dominicam. FERIA tertia Majoris Hebdomadæ. Vigilia Pentecostes. (Assumptionis B. M. V.) & S. P. N. Francisci, his diebus recommendatis de more Benefactoribus & dictis precibus omnes sedent & habita brevi aliqua & devota pro congruentia temporis exhortatione Prælati suam agnoscit culpam, ut Parte 4. Tit. 19. n. 7. dictum est. Postquam omnes agnoverunt cum Superiore culpas, hic surgit & stans conversus ad Fratres in terram prostratos jubet ut dicant *Confiteor*. Prælati deinde dicit *Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.* Deinde injungit, ut quilibet dicat *Deus propitius esto mihi peccatori*, & indutus stola congruentis coloris dat absolutionem generalem.

*Dominus noster Jesus Christus, qui est verus Pontifex, vos absolvat, et gratiam vobis copiosam infundat. Et ego auctoritate Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius, vobis concessa mihi que commissa, absolvo vos in primis ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, aut alterius cuiuscumque censura, et dispenso vobiscum in omni irregularitate, si quam incurristis. Eadem auctoritate absolvo vos à transgressione Mandatorum Dei, Ecclesiæ et Regule nostræ, nec non Statutorum Papalium, Synodaliū, Generalium, Provincialium, localium et aliorum quorum-*

Hb 2

cumq̄s.



*cumque. Item ab Horis Canonicis neglectis, transpositis, indebitè lectis vel omisissis. Deinde eadem auctoritate absolvo vos, quantum claves Ecclesie in hoc foro se extendunt, ab omnibus peccatis vestris: In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus sancti. Amen.*

Deinde significet, quod quilibet eligere possit Confessarium, qui eum pro una vice absolvat auctoritate R. A. P. Ministri ab omnibus peccatis & casibus si quos commisisset.

## TITULUS XVI.

### *De Oratione Mentali.*

1. **I**N primis de nocte post Matutinum per spatium horæ dimidiæ orationi mentali omnes devotè insistant, quî de nocte choro non intersunt, recollectionem servabunt mane hora 4ta in choro. Item vesperi post Completorium, vel post cœnam, pro ratione temporis.
2. Ante meditationis initium alicujus libri spiritualis lectio lingua vernacula, ut etiam Laici intelligant, semper præmittatur, quæ meditationis materiam & devotionis fomentum subministret.
3. singulis annis ab omnibus inviolatè servetur octiduana recollectio, Annum à prima Januarij usque ad primam Januarij, anni sequentis computando, & P. Guardianus pro singulis octiduum istud distribuet, pro ut personis commodius à Communitatis servitiis carere poterit. Servantes octiduana exercitia, illo tempore confessi & Eucharistiæ Sacramento refecti, lucrantur plenarias Indulgentias, habentq; libertatem semel eligendi Confessarium cum plenitudine potestatis.
4. Fratres Laici tempore suorum exercitiorum, omni opere manuali & aliis ordinariis occupationibus sepositis, die ac nocte per omnia Communitatem sequuntur, iisque à P. Guardiano pro illo tempore aliquis Director assignetur: Clerici verò in choro omnibus fungantur